

AD REVERENDISSIMUM DOMINUM

**ANTONIUM UKMAR**

CANONICUM HONORARIUM CAPITULI TERGESTINI,

PAROCHUM DECANUM TOMAJENSEM,

CONSILIARIUM CONSISTORII HONORARIUM

MEMBRUM SOCIETATIS AGRARIAE GORITIAE,

NATUM DIE V MAJI MDCCXCVI,

ORDINATUM PRESBYTERUM DIE XIX SEPTEMBRIS MDCCCXIX,

ORDINATIONIS SUAE FESTA JUBILAEA CELEBRANTEM

DIE X OCTOBRIS MDCCCLXIX.

**EPISTOLA**

**L**imina quaere Patris generosi carmen amoris,  
 Funde modis citharae dulcia vota seni!  
 Falce rapit juvenem, cui floret temporis aetas,  
 Falce rapit curvâ mors metuenda virum:  
 Sed Pater est noster multis felicior unus,  
 Grandaevusque senex nectit in orbe moras!  
 Flecte genu, venerande senex! et numen adora,  
 Vir bone! fac magni munera tanta Dei.  
 Saepe graves annis baculo firmantur acerno,  
 Lassa manus trepidat pesque vacillat iners:  
 Saepe graves annis morbo terebrantur amaro,  
 Et volvunt duro saucia membra toro:  
 Tu soboles dilecta Deo non frangeris aevo,  
 Robur inest membris voxque sonora labris.

Flecte genu, faciles gaudenti pectore vultus  
Indue, cerne viros, quos sociavit amor.  
Adsumus ecce tibi concordi foedere vincti,  
Gaudia nostra boni jungimus ecce tuis.  
Est aurora redux orituri nuntia solis,  
Ver vocat aestatem, prima secunda ferunt:  
Ecce *senecta* Tibi rarissima *festâ* paravit,  
Festa sacerdoti dulcia cara bono:  
Aëra percellit ditissima nola sonorum,  
Undique laetantes conglomerantur oves,  
Templa nitent, arae flammis melioribus ardent!  
Adsumus ecce Tibi, pastor amice, veni,  
Te vocat alma dies, qua te dedit esse ministrum  
Altaris sacrum praesulis uncta manus.  
Haec memoranda dies omnes regina sorores  
Anteit, est pretio regia gaza minor.  
Quotquot eunt anni, nobis hic Lucifer ortus:  
Hanc Tibi *lustra decem* lapsa tulère diem!  
Vestibus augustis circumdare protinus, uni  
Concine ter felix carmina sacra Deo!  
Imperio vocis coeli penetralia lustra,  
Et gladio verbi victima caesa jacet!  
Quanta sacerdotis nullum delenda per aevum  
*Gloria!* Quo sacro jure potitur ovans!  
Lumine sol oriens montana cacumina spargit:  
Et cito diffugiunt sidera cuncta poli:  
Ecce *sacerdotem!* Vilent regalia sceptra,  
Nec placet exornans laeta corona caput.  
Tolle oculos circum: multos in orbe magistros  
Invenis, ingenii dant documenta sui.  
Undique tironum numerosum cogitur agmen,  
Auribus arrectis verba polita bibit.  
Enumerant plantas, reserant oclusa metalla,  
Bruta maris pandunt, quae tenet aër, humus.

Montes atque lacus, fluvios urbesque recensent,  
Et referunt lapsi temporis acta graves.  
Linguarum leges, antiqua volumina promunt,  
Quae numeri praestent emolumenta, docent.  
Commoda sanandis norunt medicamina morbis,  
Enarrant rauci jura severa fori.  
Stellarum moles, iter, intervalla recludunt,  
Astra notant digito, quae latuère diu.  
Tanta parat vastae *sapientia* pabula menti!  
Sed collaudat opus, confiteare (precor),  
Non docet auctorem — *sapientia sacra* beatum  
Coeli ostendit iter, spes, amor atque fides!  
Vilia tecta casae circumvolat ales hirundo,  
Sed nubes aquilae stridula penna petit!  
Tiro bonus populo Christi das verba magister,  
Cordaque demulces, nec sinis esse fera.  
Pastor oves adamas, tribuit bona pascua gramen,  
Dulcis aquae saliens ejicit unda sitim.  
Est doctrina crucis *regina scientia* nobis,  
Tolle crucem populo, desipit omnis homo.  
In cruce parta salus, hac tu virtute triumphos  
Victor ages, fugiet turba profana procul.  
Sint alii celsis erecta palatia saxis,  
Fercula festa dapum, pocula grata meri,  
Sint Tyriae vestes, argenti pondus et auri:  
Omnia labuntur, busta cadaver habent.  
*Lucra* sibi gnavus quaerit meliora sacerdos,  
Dives opum fidei fertur ad astra celer.  
Cor virides botros, cor flavas promit aristas,  
Horrida non illis pondere grando nocet.  
Dona ferunt anni, brevioris munera vitae  
Larga, senis vero copia major erit.  
Quidquid habes, serva, Christi venerande sacerdos!  
Quidquid habes, auge — funera certa monent!

Semper avara manus coelis tribuenda reservet  
Lucra, placet Superis semper avara manus. —  
*Damna* tamen subeunt heu tristia temporis acti,  
Peccatis subeunt damna parata feris.  
Nescia peccati non est nisi Virgo beata,  
Saepius insontes intepuere viri!  
Det veniam reduci, det collo brachia circum  
Aeternus genitor: poena luenda manet  
Forte gravis natum; lacrimis peccata piantur,  
*Ferto crucem* Domini: poena luenda minor,  
Et quidquid superest poenae, *delebit* amica  
Agni Sponsa Dei, pharmaca certa parans.  
Haec Te, nos omnes felix sapientia ditet!  
Lata aliis placeat, nos tenet areta via!  
Labitur haecce brevis velocius igne trisulco  
Vita, cito feriet mors truculenta fores:  
Pande fores, venerande senex, dic protinus: Adsum!  
Aeterni valvas ingrediare Dei!

Clerus Decanatus Tomajensis.



(Scripsit.)